

*Unde oriatur certitudo scientia, &c.* 67

quia si notionem illam referre insuper quis voluerit ad effectus contingentes, necesse erit ut modificationem adhibeat, per quam nihilominus possit voluntas humana resilire à Divina, uti peccando resilit, & ne nimis resiliat, timeret, dum orat dicens: *Fiat voluntas tua*: neque enim id orandum esset, si à voluntate Divina per humanam resiliri non posset.

Postmodum ad solutionem difficultatis quæ additur, addo actus malos non minùs, quàm bonos enumerari debere inter eventus contingentes futuros: & nihilominus certum est, quòd ad illos à Deo non concurritur, nihilque de illis decernitur ut fiant, sed potius ut non fiant. Quis tamen neget actus illos à Deo certò præsciri. Unde saltem generatim falsum est omnem præscientiam Divinam pendere, sive à decretis, sive à concursu propter illa conferendo ad determinandas, prout decretum fuerit, voluntates nostras. *Deus præscit multa, quorum non est auctor*, ut legitur apud Prosperum, de Lib. Arbit. L. 3. c. 4. Sent. 379. *Scilicet mala*. At quomodò non esset auctor, si ad illa concurreret, aut si illa decerneret?

De cætero autem ex hoc quòd Deus certò præsciat actum aliquem non futurum ob id, quòd nolit ad actum illum concurrere, non sequitur quòd Deus similiter certò præsciat actum aliquem futurum ob id, quòd ad illum velit concurrere, si nempe agitur de actu libero. Ratio est ac non semel jam insinuata, quia concursus ad actum liberum prævius est concursus voluntati oblati, cui suum illa tam denegare, quàm præbere consensum possit. Quare cum ille concursus non sit cum isto consensu necessariò conjungendus, hinc ille istius certam secum præscientiam non involvit: atque ita, ut patet, non valet consequentia, quam Adversarii trahunt à certa præscientia actus non futuri propter denegandum concursum, ad certam præscientiam actus futuri propter concursum præbendum. Hoc tamen non obstat, quin verificetur quod scriptum est, & hic objicitur à Deo dictum: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. At hoc utique verificatur in sensu, qui referri non debeat ad decreta præcisè accepta; sed ad ipsa decreta prout directà per præscientiam, quæ aliunde quàm ex talibus decretis eruenda est, ut jam probatum est, & deinceps magis probabitur.

I V.  
Eventus  
mali saltem  
non præ-  
sciuntur cer-  
tò in decre-  
tis Divinis.

I V I.  
Ex concur-  
su denegan-  
do sequitur  
rem non esse  
futuram; sed  
non sequitur  
esse futuram  
ex concursu  
præbendo.